DE OPERATIONE „ÉCRASEMENT LINÉAIRE“ NOMINATA.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICO-CHIRURGICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI
MEDICORUM ORDINIS
IN ALMA
LITERARUM UNIVERSITATE
GRYPHISWALDENSI
UT SUMMI
IN MEDICINA,
CHIRURGIA, ARTE OBSTETRICIA
HONORES
RITE SIBI CONCEDANTUR
DIE XXII. MENSIS SEXTILIS ANNI MDCCCLVII
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

HENRICUS SCHOENENBERG.
GUESTPHALUS.

OPPONENTIBUS:

F. TROST, MED. CAND.
G. NACHTIGALL, MED. DRD.
A. ALBERT, MED. DRD.

GRYPHIAE,
TYPIS FRID. GUIL. KUNIKE, REG. ACAD. TYPOGR.

PATRI

OPTIMO DILECTISSIMO

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

OFFERT

FILIUS.

Postquam anno praeterito Chassaignac novam tumorum deligandorum methodum, dico l'écrasement linéaire, commendavit, multum vituperatus est quum in Schmidtii annalibus, tum a Dr. Fock, quod in hujus methodi laudatione modum excesserit. Nihilominus vero res ipsa adeo apparet gravis, ut operae pretium sit, quaecunque de hac re observentur, in vulgus edere.

Cfr. E. Chassaignac, Traité de l'écrassement linéaire; nouvelle methode pour prévenir l'effusion du sang dans les opérations chirurgicales. Paris 1856.

Schmidt's Jahrbücher, 1856. Band 90. No. 1. pag. 65—80., ubi de nova hac methodo uberius disseruit Streubel.

Ueber das écrasement linéaire, von Dr. C. Fock, Göschen's deutsche Klinik 1856. No. 30 u. 31.

A. Bardeleben, Lehrbuch der Chirurgie und Operationslehre. 2. Ausg. 1857. Bd. I., pag. 116—118.

Qua ratione partes contritae commutarentur, Chassaignac jam accurate inquisivit. Reperit, arteriam magnam cadaveris separatam, in quam contritoris (éraseur) catena imponeretur, in duas partes dividi. Arteriae tunicae intimae replicantur separatae atque arteriae lumen claudunt. Externa vero arteriae tunica seu adventitia longior facta aeque ac saccus clausus obturamento, quod arteriae tunicae internae efficiunt, arcte adhaeret, ita ut arteriae lumen dupliciter praecludatur. Arteriae parvae tantummodo conteri possunt, si in tela conterenda sitae sunt, quum alias adventitia in contritoris vaginam elabatur atque aut erumpatur aut nullo modo dissecari possit. Occluduntur vero et arteriae minores, si una cum partibus vicinis disciduntur, idque in eum fere modum, atque arteriae majores. Quo enim tunicae intimae in arteriis minoribus sunt magis tenues minusque ad occlusionem pertinent, quam in arteriis majoribus, eo firmiores atque crassiores inveniuntur tunicae adventitiae, quae natura sua elastica simul cum lumine minore arteriarum suarum proclivitatem ad occlusionem arteriarum majorum adaequant.

Quum mea interesset, cognoscere, quomodo telae aliquanto post contritionem commutatae essent, cuniculi crus sub genu ipso detrivi. Dolore cuniculus tum demum tactus est, quum ad contritionem exhibendam major jam vis reposceretur. Sanguis nusquam e vulnere profluxit, nisi ex arteria ossis forcipe persecti. Musculi aeque abscissi erant, in parte abscissa aliquanto minus lati. Post viginti quattuor

horas animali interfecto cruris vulnus inquiritur. Arteriae dodrantem lineae latae finis bulbosus est, arteria sanguinis coagulo repleta, cujus figura item bulbosa est. Coagulum digiti partem quartam sursum progreditur et aqua addita post aliquod tempus liquefit. Supra hunc arteriae locum angusta tantum sanguinis via in conspectum venit. Venae finis in striam angustam albam lineae longitudine compressus est, quum vena supra hanc partem sanguine parum impleta sit. Quum nervus pariter lineae longitudine albissimus est, ejus vasa, si digitum progredimur, sanguine turgescent; reliquus nervus nihil apparet commutatus. In disquisitione microscopica trunci contriti neurilema supra ultimas nervi fibrillas velut saccus clausus expansum repertur; nervi fibrillae ad certum locum directe currunt, ubi fines crispantur ac varie flectuntur; nervi contorti fibrillarum vagina lineas tam perspicuas, quam consuevit, non habet. Sin autem rapidius corporis partem quandam contrivisses, tunicae arteriae intimae cum adventitia longius conjunctae remanerent, quam quae contritione facta arteriae lumen obturare possent: adventitia pariter persecaretur, priusquam arteriarum involvere potuisset. Quas ob res Chassaignac in casibus, ubi arterias magnas conteri oportuit, ut in amputatione linguae, altera quaque hora compressionem auxit atque amputationem linguae intra horas quadraginta quattuor perfecit. Quamquam haec operatio ab illustrissimo B. Langenbeck horae vix dimidio facta est, tamen intelligi potest, vim sensim sensimque

exhiberi oportere. Quam ob rem Luer contritorem (écraseur) a Mathieu fabricatum ita commutavit, ut non per intervalla, sed paullatim atque aequali modo contritio progrediatur.

Quum catena articulis inter se junctis eadem est, cum reliquo apparatu tali modo juncta est, ut uterque finis in laminam excurrat, quae apertura est instructa, cui ligulam quadrilateram, pyramidalem ita coaptare possis, ut catena firmius attracta magis munita sit, eadem vero retracta facile extolli possit. Haec ligula in lamina fixa est, quae cum solida cochlea circiter pollicis quadrantis habente crassitudinem conjuncta est. Perticarum dentatarum locum in contritore a Mathieu fabricato in illo a Luer fabricato haec cochlea obtinet. Sicut illic perticae, hic cochlea obducta est, quae in parte anteriore tam angusta apertura instructa est, ut duo articuli catenae diametris transversis juxta positi pervehi possint. Cochlea in vagina ad conterendum hoc modo removeri potest. Circum cochleam vagina secunda dimidium pollicis longa, quum pari modo in parte interiore cochleae meatibus aptis instructa sit, sursum et deorsum moveri potest. In exteriore quoque parte habet cochleae meatus, qui tales sunt, ut conjuncti cum cochlea quadam, quae initio primae vaginae munita est, cochleam infinitam praebeant. Ad quam vectis formam S habens coaptatus est, ita ut cochlea infinita facillime versari possit, quo facto pariter cochlea solida versatur. Quae quum torquenda non sit, sed modo sursum et deorsum movenda sit, fossa per

totam longitudinem currente lineam lata et lineam profunda praedita est, in quam per vaginam ligulam coaptare possis. Si contritorem solvere velis, cochlea modo infinita deponenda est, quo facto cochlea solida quovis modo in vagina moveri potest. Ex his, quae exposui, facile intelligi potest, contritoris effectum aequum esse. Dum praeterea contritor secundum Mathieu post septem vectis rotationes ad articuli catenae longitudinem movetur, torsiones viginti quinque opus sunt, ut assequaris eundem effectum in apparatu a Luer instituto, cujus articuli praeterea paullo minores sunt. Quando contritor a Luer institutus adhibendus sit, et num haemorrhagia certius evitetur, experientia docebit. Semper autem id spectandum est, ut contritor sit satis firmus, id quod tali modo probari potest, si res haud facile conterenda catenae inseratur; quae si, quantumvis catena attrahatur, non frangitur, instrumento in operatione secure uti poteris. Praeterea videndum est, ut finis vaginae cochleam solidam circumcingentis satis firmus sit, quod hic locus maxime premitur. Eodemque modo eum non nimis amplum esse oportet, quum alias corporis partes in vaginam attrahantur. Quae si satis respicies, certe nunquam aliquid infausti accidet.

Praecipue respiciendum est, in quibus casibus contritio adhibenda sit, et in quibus reliquae operationum methodi. Quamvis multi sint casus, in quibus chirurgus complures operandi methodos eligere possit, tamen saepe unam vel alteram praeferet. Ita-

que conabimur explicare ea, quae ad contritionem opus sunt, et addere ejus damna et laudes. Generaliter praecipue in talibus tumoribus et corporis partibus adhibendus est, quae aequo duriores non sunt, quia alias frangerentur, eodemque modo justo majores non sunt, aut si majorem habent circumferentiam, in complures partes dividi possunt, ut singulae conterantur. Imprimis pro excisione adhibendus est, si haemorrhagia evitanda est, sed prima intentio non quaeritur. Ligaturae permultum eo praestat, quod pars amputanda statim removetur neque eam putrescere oportet, id quod certe fastidiosum, interdum maxime noxium etiam fieri potest. Pro ferro candente adhibendus est, si tumorem tam magnum excidere velis, qui illo uno tempore exstingui non possit; si magni momenti organa adjacent, quorum laesio ferro candente adhibito vitari non potest; si via, quam a ferro candente confici oporteat, tam longa est, ut ferrum ad summum rubescens perferri possit. Nec minus respiciendum est, ferri candentis vim saepe nullo modo certe determinari posse, in contritione et haemorrhagiam, si recte distinxisti, minimam et inflammationem insequentem suppurationemque semper exiguas esse. Denique contritio eandem pyaemiae satisdationem praestet, quum casus unicus, in quo pyaemia observata est, vix in rationes inferri possit, si consideras, contritorem inter operationem fractum esse et, priusquam instrumentum novum allatum esset, arteriam sanguinem expellentem substringi oportere.

Restat aemula potentissima methodus galvanocaustica, quae praeter conterendi vim etiam cauterii vim procreat. Quod ad cauterii potestatem pertinet, desunt plurima illa incommoda, quae ferri candentis propria sunt, et propter quae contritio ferro candenti praeferenda sit. Si enim ad locum, ubi operatio facienda est, via satis longa est, ut ferrum candens adhiberi non possit, methodo galvanocausticae nihil obstat, quod vim tum demum ostendit, quum ansa galvanocaustica omnino apposita est. Qua re etiam illa contraindicatio ferri candentis rejicienda est, quae evenit, si via ad partem aegram juxta organum nusquam in discrimen vocandum conficienda est. Praeterea ardoris galvanocaustici magnitudo, quae tam augeri potest, ut ferrum candens superet, plerumque accurate aestimari potest. Sin vero in organo ipso in discrimen non vocando operatio fiat, etiam hic contritionem praeferri oporteat, quum ardore adhibito semper vulnus crustam crassiorem procreet ejusque in circumferentia inflammatio fiat major. Utraque operatio haemorrhagia minuta excellet; forsitan etiam in hac re methodus galvanocaustica paullo antecedat, quum haemorrhagia exorta vulnus statim funditus exuri possit. Num contritionis sit, de pyaemia minus cavere, annon dubium est, ut jam supra dixi. E galvanocausticis autem operationibus hucusque pyaemia nusquam nata est. Ast reputandum est, galvanocausticum apparatum magnis laboribus transportari, tempore longo instituendi causta egere et magni pretii esse.

Secundum ea, quae commemoravi, contritionis adhibendae leges statui oportere credo. Nec dubium est, distinctionem morborum accuratam maxime esse necessariam. Saepe contritioni operationem aliam praecedere, saepe eam sequi oportet. Interdum autem ab initio decerni potest, contritionem esse ineptam. Lipomata et steatomata quidem saepe tam constituta sunt, ut e loco certo, basi, vasa recipiant, sed perinde saepe vasa e tota tumoris circumferentia ad illum accurrunt. Quum illic neoplasma usque ad basin excidas, ut eam tum conterendo removeas, hic nullam conterendi causam invenis, sed mecum consenties excisionem solam esse faciendam. Tumoris fibrosi basin reliqua parte exsecta conteri, certe aptissimum est, sed tumor fibrosus diffusus ad conterendum idoneus non est. Quam varia sit operandi ratio in his tumoribus, exemplis duobus explicabo, quorum usum vir humanissimus, illustrissimus Bardeleben mihi concessit.

Femina Burwitz, Gryphiswaldensis, annos viginti quattuor nata, post annum decimum sextum mensibus recte praedita, ante tres annos primo peperit. Partu et puerperio, quamquam infans die tertio vita discessit, feliciter superatis, mater animadvertit, in latere epigastrii dextro circiter inter umbilicum et spinam anteriorem ossis ilei duritiem juglandis magnitudine, dolore carentem intra ventris tegumenta exortam esse, quamquam nulla vis allata erat. In institutum clinico-medicum recepta, cataplasmata calida imposuit, hirudines et unguentum hydrargyri

cinereum adhibuit, sed durities mansit, quamquam per sex hebdomades haec medendi ratio exhibebatur. Postea tumor pariter crevit, neque dolores orti sunt. Ante quattuor menses femina iterum peperit. Infans debilis post tres hebdomades mortuus est. Quum tumor inter graviditatem etiam magis adaugeretur, ac femina timeret, ne tumor carcinoma esset finesque magis magisque proferret, petiit, ut extingueretur. In disquisitione haec inveniuntur: Femina, magnitudine mediocri, validissima est. Tumor digitos quinque longus et tres digitos latus inter umbilicum et spinam anteriorem superiorem ita positus est, ut diametros tumoris minor in hac directione sita sit. Tumor circumscriptus, satis mollis, mobilissimus, ab omnibus partibus comprehendi manibus ac super spinam anteriorem superiorem moveri potest. Inter tussim post tumorem peritoneum premens aperte sentitur, ita ut tumor supra ventris musculos sub tegumentis sedes habere videatur. Inquisitione per vaginam instituta nihil ab norma abscedens est repertum. Ex his, quae commemoravimus, tumor cognoscitur fibrosus, cujus fines putantur de peritoneo sejuncti esse, id quod certum non statuitur. Decernitur, ut exstirpatio fiat et, si tumor cum peritoneo conjunctus sit, pars superficialis exstinguatur, pars reliqua relinquatur. Quarto die Martii mensis femina formylo chlorato stupefacta operatio fit. Quum tumor, cute quinque digitos in longitudinem dissecta, nondum appareat, musculus obliquus externus et internus persecantur, quo facto apparens tumor in

vulnus se non premit, sed musculorum vinculis dissectis profundo in vulnere evanescit, ita ut eum forcipe uncinato protrahi oporteat. Tum partim cultro, partim ejus manubrio in omnes partes a telis vicinis caute solvitur, donec in peritoneo affixus esse oculis cerni possit. Quum tumor a peritoneo abscidi non possit, et peritonei partem cum tumore conjunctam pariter amputari periculossimum sit, quod ventris apertura nullo modo claudi potest, tumoris pars superficialis exstinguitur. Ne sanguis effluat neque operationi impedimenta faciat, contritio adhibetur. Tumore in duas partes aequas digitos duos atque dimidium longas et latas et digitum crassas diviso, et rima circum utramque tumoris partem cultro facta, ne catena elabatur, contritores et a Mathieu et a Luer constructi applicantur. Relictae partes superficies laevissima sanguinem non fundit ac modo, ubi contritor a Mathieu constructus injectus erat, nonnullae sanguinis guttae prorumpunt, quarum flumen statim lapide infernali tollitur. Ut quantum fieri potest cutis cum relicta tumoris parte coalescat, vulneris margines inter se admoventur et aliquo linteoli concerpti injecto emplastris adhaesivis alligantur. Morphii acetici solutio (gr. 1½ ad ℥vj) altera quaque hora adhibetur. Duabus horis post operationem factam pulsus 55. Vulnus dolore vacuum. Vesperi pulsus 80 et aliquid capitis doloris.

5. III. mane pulsus 92. Noctu vomitus exstiterat. Venter nonnihil dolens, praesertim in parte inferiori. Morphium et Calomel (gr. j) alternantur.

Vesperi pulsus 100. Vomitus relictus est. Ventris praesertim inferior pars dolens.

6. III. mane pulsus 108. Venter inflatus. Cibi cupiditas deficit. Alvus post operationem factam semper astricta. Singulis horis colomel gr. j.

Vesperi pulsus 112; venter minus inflatus, quamquam alvus non dejicitur.

7. III. mane pulsus 120. Alvus jam semper astricta; cibi cupiditas deficit; venter minus inflatus ac minus dolens.

Vesperi pulsus idem. Vincula odores spargentia commutantur: vulnus valde purulentum et hiascens. Linteolum concerptum et emplastra adhaesiva. Calomel et Morphium.

8. III. pulsus 108. Alvus primo deponitur; caput non jam dolet. Aliquid appetitus; venter jam minus inflatus ac dolens; vincula renovantur: vulnus duos digitos latum hiascens. Propter salivationis indicia Calomel vetatur; alumen ad gargarismos. Morphium.

9. III. pulsus 100. Sedes deponuntur. Vulnus tres digitos latum hiascens; tumor in vulnus premitur, purulentus. Lanugo linea cum unguento basilico.

10. III. pulsus 86. vulnus jam amplius hiascens; tumor e ventris tegumentis turget. Vincula eadem.

11. III. 12. III. Omnia eadem.

13. III. Vulnus in manus latitudinem hiascens; tumor excretus est quattuor digitos longus, duos digitos latus, unum altus; vincula ut antea; venter mantelio constringitur.

15. III. pulsus 72. Tumor quidem cum vulneris

marginibus conjunctus in tegumentorum superficiem digitum exsurgit.

18. III. pulsus 68. Aegrota primum surgit e lectulo. Pulvere calcis vivae et kali caustici tumor conspergitur. Quod cauterium quinquies repetitum tumoris maximam partem delevit, ita ut vulnus cicatrice obduci inciperet. Quo velocius cicatrix exoriretur, vulnus interdum argento nitrico incitatum est. Initio mensis Quinctilis cicatrix perfecta erat, circiter quinque digitos longa, dimidium usque ad unum digitum lata. Manibus autem profundo in ventre durities palpari potest, quae et cicatrix et tumoris fibrosi reliquiae et peritoneum spissatum putari potest. Feminam, quae per plures menses omnia negotia peregit, immo vero saltandi caussa saepe per noctem vigilavit, sanatam judicari oportet.

Ehmke, femina, sexaginta tres annos nata, semper sana, ante aliquot annos animadvertit, verrucam parvam in palpebrae dextrae cute exortam esse, quae sensim crevit et, femina nosocomio nostro recepta, hunc conspectum praebuit. Tumor et oculum dextrum et magnam malae partem obtegit et vasis numerosis penetratur. Tumoris basis est tenuis. Contritoris secundum Mathieu catena imposita ac tumore contrito, in conspectum venit, vulnus sanguinem non fundere. Quum vero vulneris pars suspicionem inferret, neoplasma etiam altius in cutem invadere, duas lineas altum stratum desecatur. Vulnus emplastro adhaesivo obtegitur. Disquisitione microscopica tumor neoplasma glandalarum telae co-

gnoscitur. Post quattuordecim dies femina vulnere cicatrice obducto domum rediit.

Ad cetera neoplasmata revertimur. Carcinoma in locis opportunissimis tantum conteri potest, primum, quod ejus fines ab initio nunquam terminari possunt, quum telas vicinas non, sicut alii tumores, distendat, sed eas degeneratione immisceat; praeterea, quod nunquam praeditum est petiolo, quo alatur, sed ejus vasa ex omnibus circumferentiae partibus procedunt; denique, quod fines ab hac parte in longitudinem, ab illa in altitudinem extendit. Quare cutis carcinoma facilius excidi, quam conteri potest. Contritioni autem idoneum est collum uteri, quod est, excepta mamma, haec sedes creberrima carcinomatis primigenii. Quum enim collum carcinomatosum eandem rationem ac tumor petiolo praeditus habeat, utero protracto sine ullo impedimento conteri potest. Uterum autem collo carcinomatoso detrahi, non solum difficillimum, sed etiam periculosum est; quamobrem Chassaignac contritorem construxit vagina curvata, in qua perticae aeneae dentatae contritoris a Mathieu fabricati virgis aeneis flexibilibus terminantur, quae catena conjunguntur et facile tutoque in vagina curvata moventur. Quo instrumento collum divellere potes, etiamsi uterum non deduxisti. Chassaignac hac ratione operandi modum exponit: aegra ut in lithotomia in mensa ponitur, speculum bis valvatum introducitur. Postquam chirurgus digitum indicem manus sinistrae intulit, contritorem, catena satis laxata, immittit et digito

extremo circum collum uteri catenam circumfert; si plus partis anterioris colli uteri removeri oportet, vagina aenea in parietem posteriorem vaginae femineae ita imponitur, ut ejus curvatura retroflectatur; si res est contraria, vagina aenea femineae vaginae parieti apprimitur. Tum leniter manubrium attrahenti tibi persuasum est, catenam lege artis impositam esse, ut tunc contritionem fere intra quadrantem horae peragas. Chassaignac quidem in duabus feminis operatione facta dolores epigastrii vehementissimos observavit, qui paullatim cederent. Haemorrhagia nusquam exorta est; vulnus post quattuor dies granulationibus obtegitur; aliquoties catheterem applicari necesse erat et, quum granulationes leniter efflorescerent, injectiones et cauteria necessaria erant, donec post sex fere menses cicatrix bona et firma exorta erat. Excisioni vero hic modus semper permultum praestat, quod difficillimum est, haemorrhagiam insequentem supprimi, praesertim si pyaemia observata est. Carcinoma mammae contritione removeri, ex diversissimis caussis non licet. Si enim degeneratio carcinomatosa accurate determinari potest, nodus plerumque in mammam huc usque in profundum porrigitur, ut contritor imponi nequeat. In degeneratione diffusa stultum est, contritionem adhibere, quod evenire potest, ut parte aegra non omnino remota circum totum locum, ubi instrumentum efficax erat, cultro vulnus novum secari oporteat. Sin vero tota mamma carcinomate laborat atque removenda est, Chassaignac hunc modum tradit. Acu enim

triquetra cannulata infra mammam pertusa et duobus filis perductis et constrictis petiolus ad contritorem subjiciendum formatur; nimium autem tumorem Chassaignac eodem modo in duas, vel etiam in quattuor partes dividit. Quum mammae totius carcinoma tumor maximus esse soleat, plerumque ad tumorem dividendum et removendum permultum temporis conferendum est. Praeter velocitatem autem, quae mamma degener cultro excidi potest, excisioni etiam prosperum est, quod plerumque tantum cutis servari potest, ut vulnus obtegatur, et plerumque nonnullis quidem vulneris locis prima intentio impetratur. Huc accedit, quod haemorrhagia non tanta est, ut auxilio quodammodo sufficiente tuto et facile sisti non possit. Denique mamma omnino degenerata tibi raro succedet, ut totius partis aegrotae ablationem conterendo assequi possis. Recti autem carcinoma, si diffusum vel ulceris superficies est, ad conterendum ineptum est. Sin autem nodus se ostendit, cujus basis separabilis est, haemorrhagia et suppuratione minutis contritio excisioni praeferenda est. Et propter linguae formam, et propter ea, quae oris cavi propria sunt, in carcinomate linguae exstirpando propter exitum prosperum et commoda egregia contritio methodis operandi reliquis anteponenda est. Linguae et apex, et pars media, et basis conterendo removendae sunt, et instrumento recte adhibito semper carcinoma omnino exstingui potest. In excisione autem haemorrhagia arteriarum circumferentiae satis magnae magni momenti est, praesertim quum lin-

guae parvae amputatio paullatim perfici, eoque arteria alia post aliam substringi non possit. Praeterea arteriae facile recedunt, et ad haemorrhagias insequentes perniciosissimas occasionem praebent. Accedit, quod oris secreta, praesertim quum lingua tam crebro moveatur, sanguinis coagula solvere eodemque modo ad haemorrhagias noxias occasionem dare possunt. Quin etiam pyaemia saepe exoritur propter conditiones ibi faustissimas, quod aer accedere non vetatur, quod calor in oris cavo auctus est, quod vulnus perpetuo oris secreto irrigatur. Linguae autem contritione haemorrhagia plerumque deest; vulneris crusta tenuis solvendi vi oris secretorum resistit. Ut singuli carcinomatis nodi vel linguae apex removeatur, pars removenda ligatura petiolo instruitur, quo facto instrumentum facile adhiberi potest. Ad linguam dimidiam amputandam per mediam linguam filum ducitur, quo catena alligata perducatur. Tum aut linguae pars transversa primum conteretur, ut lingua tunc in longitudinem diffindatur, aut incisura utraque uno tempore duobus instrumentis perficitur. Media lingua sic removetur, ut de medio in utramque partem conteratur. Ad linguam totam amputandam Chassaignac hunc modum adhibuit: Acum lanceolatam filo instructam, ex quo catena pendet, exstrinsecus prope super os hyoideum infigit, ita ut acus in oris cavo juxta frenulum emergat; quo facto catenam intro rapit eamque retro super linguae radicem hamo protractam mittit; tum eam acu filoque in parte frenuli opposita ex oris cavo reducit, ita

ut infigendi locus fiat extrahendi locus. Quo modo catena contritore conjuncta linguae basin circumcingit; pars linguae inferior catena altera, quae de oris cavo infertur, conteritur. Credo vero methodum, quam supra commemoravi, fere semper sufficere et hac methodo difficili chirurgum plerumque carere posse. Vulvae carcinomata pariter conterendo, tela fungosa et sanguinolenta, removeri possunt. In nosocomio nostro occasionem habui, dua vulvae carcinomata epithelialia observandi, quorum historiam exponam, ut conterendi rationem ejusque eventus ostendam.

Becker, mercenaria, triginta sex annos nata, ex oppido Düjow, die octavo mensis Junii recepta est. Ante duos annos in superficie interna labii majoris sinistri durities parva, fere magnitudinem pisi habens, circumscripta, paullum dolens, quae post complures hebdomades doloribus adauctis crevit et supra partes vicinas prominuit, sensim in latitudinem quoque amplificata exorta est. Dolores tum praecipue vehementissimi exsistebant, si eundo superficies internae labiorum atterebantur, dum tranquille in lecto incumbenti deerant. Therapia a medico nulla instituta. In superficie interna labii majoris sinistri tumor invenitur circiter lineas tres prominens supra partes vicinas, diametrum habens circiter novem linearum tactu maximos dolores excitans. Superficies tumoris fere rotunda, valens et granulans; incumbit secretum subfuscum, quod facile removeri potest; porro adest fluor albus vaginalis. Ceterum organa sexualia

externa sunt sana. Verisimile erat, tumorem esse carcinoma epitheliale, id quod disquisitione microscopico confirmatum est. Chloroformio aegrota sopita est et tumoris basis primum cultro circumciditur. Catena contritoris secundum Mathieu constructi, quantum fieri potuit, fundo incisionis imponitur, ut tali modo tumor per totam suam amplitudinem removeatur. Tumor conteritur sic, ut catena attrahatur spatio temporis praeterlapso, quo ad decem numerare possis. Vulneris tali modo exorti superficies, cujus fundus omnino adspectum telae sanae praebet, linteo carpto ferro sesquichlorato imbuto obtegitur; super hoc linteum carptum siccum intra labium utrumque ponitur et omnia fascia T firmantur. Cataplasmata frigida. Vespere cathetevismus; Morphium. Postridie exigua intumescentia; urina spontanea removetur; dolores deminuti. Paucis diebus post depositae sunt crustae ferri sesquichlorati usu exortae. In superficie vulneris valentes rubrae granulationes. Aegrota paucis diebus post dimissa est, et praeter accuratissimam purificationem vinctura et unguento basilico uti jussa est. Quattuordecim diebus praeterlapsis rediit: vulneris superficies cicatrisationem praebet incipientem.

Carolina Schechtel, fabri uxor, quinquaginta quinque annos nata, recepta die septimo mensis Julii, narrat, se jam prius saepissime, si majorem viam confecisset, excoriationibus in superficie interna labiorum majorum laborasse; has tamen semper brevi tempore sanatas esse. Talis excoriatio fere ant

annum, postquam iter confecerat longius, exorta, non tamen, ut antea, in integrum restituta est, sed partes finitimae hujus superficialis ulcerationis duriores factae sunt, et tactu dolores vehementissimi exorti sunt. Postquam durities et ulceratio sensim crescentes jam diametrum linearum sex assecutae erant, medici auxilium requisivit. Vulneris superficies partim vincturis simplicibus, partim causticis tractabatur. Sed nunc quoque sanatio nondum progressa est, sed ulceratio et infiltratio partium vicinarum amplificata est, et aegrotam induxit, ut Gryphiam se conferret. Ulcus hanc speciem praebuit: Supra partes vicinas in superficie interna labii majoris sinistri prominet, in labium minus ejusdem lateris et in sinistrum latus orificii urethrae externi transmigrat, tactu vehementissimos dolores excitat. Quamquam secretio est parva, tamen haemorrhagiae parvae facile exoriuntur. Exploratio manualis organorum sexualium demonstrat, neoplasma circiter pollicem dimidium longe in membranam mucosam vaginae transmigrasse; reliqua vaginae pars intacta. Tumor circumciditur, in duas partes dividitur et utraque pars contritoris catena circumdatur atque aufertur. Vincula et therapia, ut supra. Granulationes valentes crustis remotis apparent, ita ut femina post tres hebdomades sanata domum rediret.

Ad nodos haemorrhoidales, Dr. Fock quidem cum Chassaignac consentit, ligaturam aut excisionem aut earum consiliationem rejiciendas esse,

sed Dr. Fock, factis nisus, ferro candenti eandem potestatem vindicavit. Et excisioni et ligaturae polyporum faucium recti et uteri contritio certe anteferenda est, quum non solum aegrotum ab haemorrhagia defendat, sed etiam polypum statim removeat. In polypis uteri removendis contritorem vagina curvata praeditum, quem jam supra descripsi, optime adhibes, quod non est, cur uterum protrahas et tali modo peritoneum distendas. Num conterendi ratio, quam Chassaignac ad varicocelen sanandam describit, partim venis violentiam nimis fortem non inferat nec venarum fasciculis distortis ad pyaemiam proclivis sit, partim prohibeat, quominus varicocele de integro redeat, futurum tempus modo docere potest. Quantopere eximia haec ratio est, tantopere videtur esse periculosa. Ut testiculus degener conteratur, vix effici posse credo quum ab initio constitui non possit, ut septum scroti remaneat incolume. Nec minus hoc crimen propulsari potest, si funiculus spermaticus primus conteratur, ut tunc demum testiculus conteratur. Exciso autem testiculo ut funiculus sperma ticus conteratur, non solum facile tutoque perfici potest, sed etiam reliquis operandi methodis praeferendum est, sive funiculum supra testiculo ipso excidi ejusque arterias substringi oporteat, sive etiam altius funiculus totus substringendus sit. Quarum rerum argumento tibi sit hic casus:

Reichert hydrocele dextra receptus est; incitione primum adhibita, initio decursus faustus est; tume-

scere modice testem hydroceles operationi adscribitur. Testis autem hoc statum non solum non permansit, sed octo diebus praeterlapsis etiam magis intumuit, simul dolores secundum funiculi spermatici decursum exstiterunt. Neque hirudines neque infrictiones unguenti hydrargyri cinerei loco dolenti meliorem statum attulerunt, sed potius dolores secundum decursum funiculi adaucti sunt et paucis diebus post fluctuatio perspicue animadversa incisionem indicavit, qua copia magna puris fusci crassique remota est. Similibus indiciis suppuratio in teste ipso exstitit, qui pari modo ut antea tumidus, nodosus et dolens erat. Ex quibus quum manifestum fieret, testiculi tuberculosin exortam esse, decernitur, ut castratio fiat. Superficie ulceris, quod ex operatione hydroceles genitum erat, et apertura, quam abcessus punctio reliquerat, excisis, testis cum tunica inspissata et compluribus focis suppurationis instructa sensim decorticatur, dum magna vasorum copia substringitur, et funiculus sursum nudatur. Partes funiculi abscessui proximae conspissatae exciduntur, ita ut contritoris secundum Mathieu constructi catena facile imponi possit. Funiculo spermatico brevi tempore contrito sanguis non profluit. Vulneris pars, quae circum funiculum sita erat, linteo carpto liquore ferri sesquichlorati irrigato obtegitur; reliqua vulneris pars suturis conjungitur, excepto angulo inferiore. Post tres dies suturis remotis vulnus hiascit excepto ponte pollicum duorum longitudinis; in superficie vulneris contritore effecti granulationes va-

lentes exoriuntur. Vulnus in dies deminuitur, ita ut vir convalescens post quattuordecim dies domum redire possit. Tribus hebdomadibus praeterlapsis, vulnere cicatrice omnino obducto. Aegrotus ad nos revertit, omnino valens, de perfecta sanatione gratias acturus.

VITA.

Natus sum **Ludovicus Henricus Schoenenberg**, fidei evangelicae addictus, anno hujus saeculi trigesimo secundo die secundo mensis Septembris, in oppido Neuenrade, patre **Friderico**, matre **Elisabeth**, e gente **Stemper**, quos parentes mihi ad hunc atque diem Deus optimus alvas servavit. Primis litterarum elementis imbutus gymnasium Tremoniense per sex annos frequentavi, ac testimonio maturitatis munitus tempore auctumnali anni hujus saeculi quinquagesimi tertii a rectore magnifico **Sell** in numerum civium academicorum Bonnae receptus in medicorum ordinem a decano spectatissimo **Weber** inscriptus sum. Post duo semestria ad universitatem Herbipolitanam profectus sum ibique per tria semestria studiis incubui. Semestri quarto examen philosophicum Bonnae absolvi. Per duo semestria universitatem Berolinensem frequentavi, dein vero Gryphiam discessi.

Hisce interfui scholis:

a) Bonnae.

Ill. **Mayer**: de anatomia generali.
Ill. **Weber**: de anatomia speciali.

Ill. **Plücker:** de physice experimentali.
Ill. **van Calker:** de logice, psychologia.
Ill. **Naumann:** de encyclopaedia et methodologia medica.
Cel. **Schaafhausen:** de anthropologia.
Ill. **Bischof:** de chemia organica, chemia anorganica.
Ill. **Treviranus:** de botanice, naturalibus plantarum ordinibus.

b) Herbipoli.

Ill. **Rumpf:** de mineralogia.
Ill. **Koelliker:** de observationibus microscopicis instituendis, physiologia, embryologia.
Exp. **Schwarzenbach:** de disquisitionibus chemicis.
Exp. **Gegenbaur:** de zoologia.
Exp. **Leydig:** de anatomia comparata.
Ill. **Bamberger:** de auscultatione et percussione.
Exp. **Koch:** de morbis syphiliticis.
Exp. **Friedreich:** de pathologia et therapia speciali.
Ill. **Scanzoni:** de arte obstetricia.
Ill. **Scherer:** de chemia physiologica et pathologica.
Ill. **Virchow:** de demonstrationibus pathologico-anatomicis.
Ill. **Rinecker:** de materia medica.

c) Berolini.

Exp. **Traube:** de auscultatione et percussione.
Exp. **Billroth:** de chirurgia.
Ill. **Casper:** de medicina forensi.
Ill. **Busch:** clinico obstetritico.
Ill. **Langenbeck:** clinico chirurgico.

d) Gryphiae.

Ill. **Bardeleben:** clinico chirurgico, operationibus in cadavere instituendis.

Ill. **Niemeyer**: clinico medico.

Ill. **Pohl**: observationibus de anatomia pathologica microscopii ope instituendis.

Quibus viris optime de me meritis gratias ago quam maximas

THESES.

I.

Blennorrhoeae neonatorum caussa nulla alia, nisi contagium.

II.

Vaccinatio rejicienda non est.

III.

Dentitio morbos non procreat.